

ruere. Tunc ergo vita concors sibi est ubi actio non destituit impetum, impetus ex dignitate rei cuiusque concipitur, proinde remissus <aut> acrior prout illa digna est peti.

Naturalis pars philosophiae in duo scinditur, corporalia et 16  
5 incorporalia; utraque dividuntur in suos, ut ita dicam, gradus. Corporum locus in hos primum, in ea quae faciunt et quae ex his gignuntur—gignuntur autem elementa. Ipse <de> elementis locus, ut quidam putant, simplex est, ut quidam, in materiam et causam omnia moventem et elementa dividitur.

10 Superest ut rationalem partem philosophiae dividam. Omnis 17  
oratio aut continua est aut inter respondentem et interrogantem discissa; hanc *διαλεκτικήν*, illam *ῥητορικήν* placuit vocari. *Ῥητορική* verba curat et sensus et ordinem; *διαλεκτική* in duas partes dividitur, in verba et significationes, id est in res  
15 quae dicuntur et vocabula quibus dicuntur. Ingens deinde sequitur utriusque divisio. Itaque hoc loco finem faciam et  
summa sequar fastigia rerum;

alioqui, si voluero facere partium partes, quaestionum liber fiet.

20 Haec, Lucili virorum optime, quominus legas non deterreo, 18  
dummodo quidquid legeris ad mores statim referas. Illos conpesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas publicasque quantum potes vexa; et istis dicentibus ‘quousque eadem?’ responde:

25 ‘Ego debebam dicere “quousque eadem peccabitis?” Reme- 19  
dia ante vultis quam vitia desinere? Ego vero eo magis dicam, et quia recusatis perseverabo; tunc incipit medicina proficere ubi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicam etiam invitis profutura. Aliquando aliqua ad vos non blanda vox